

de literis Eliæ ad Joramum.

23

tico successores, altare enim Betheli extructum cum idolo, non nisi *deleto jam regno Israelicō* fuit dirutum, concrematis antea super eo ossibus sacerdotum, hunc in finem exhumatis iterum. 2. Reg. 23. Quamvis autem Judæi vitulos hos à Regibus Assyriæ ablatos dicant, aliique suspicentur, inter talenta illa argenti à *Menahem* Rege Imperat. *Affyriorum* Phul data etiam vitulos aureos missos fuisse, Seldenus tamen in locum eorum ligneos substitutos judicat, qui fuerint inaurati, ut ita cultus vitulorum semper continuari, usque ad tempora Iosiae. Ambulavit in hac via Rex Juda Joramus sub ratione quadam generica, quamvis enim non legatur abiisse vel ablegasse subditos, ut coleret vitulos, erectos in Dan, & Bethel, quamvis etiam nec hoc dicatur ullibi, quod ejusmodi vitulos erexerit in suo regno, excelsa tamen fabricavit, & à vero DEI cultu deflexit partim extra locum sacro cultui destinatum, alia loca & Lucos consecrando, partim simulacra & idola ibidem erigendo, talia enim erant excelsa Ieroboami. 1. Reg. 12. v. 31. 32. qualia etiam erexerat Salomon. 1. Reg. 11. v. 7. 2. Reg. 23. v. 13. & Rechabeam, 1. Reg. 15. v. 23. Licet autem in excelsis obtulerit populus Iudaic⁹ tempore Aſſa & Iosaphati, ita ut ea non amoverint, quod factum ab Ezechia, 2. Reg. 18. v. 4. 22. sed toleraverint, talia tamen excelsa erexit Joram, in quibus colebantur idola, quia cultus excelsorum idem dicitur cum cultu Regum Israel, conformis cultui vitulino, non solum quoad locum, sed & respectu objecti, tituloque fornicationis insignitur, quamvis enim negari non possit, omnis generis immundicie, commixtionesque carnales in lucis istis fuisse promiscuas, tamen spiritualem denotari fornicationem, i. e. idolatriam contextus satis evincit. Et eò majus fuit hoc peccatum, quia non solum in sua persona idolatriam commisit,

sed